mus DEUS tuus petit à Te, quærit optimus DEI Cancellarius, Moy-
ses, nisi ut timeas Dominum DEUM tuum? Sic et DEUS ipse inquit:
Time Dominum DEUM tuum: ego sum Dominus. Vide autem, monet
Siracides, ne timor aut religio tua sit hypocrisis: timor enim Do-
mini ê Sanctus: expellitq́ et ipse peccatum. Undè nec Hierosolymitanus
ad se vocare homines dubitat: ut ipsos timorem Domini do-
ceat. Venite igitur Filii, alicubi ait in Psalmis psalmista Timo-
rem Domini Vos docebo. Dignus et maximè post DEUM timore
Summus patriæ princeps est. Quum enim vicarius ipse DEI in
his terris sit: non civium tantummodo commoda provehens: sed
et hos eorundemq́ bona, pro aris et focis fortiter pugnando, de-
fendens: meritò quoq́ omni honore mactandus, omni reverentia pro-
sequendus, omni timore excipiendus. Time ergo, D. Apostolus
Petrus præcipit, et tu Dominum et Regem. Regem honorifi-
cate, monet idem Apostolus alibi, et timete DEUM. DEUM nempè
qui timent, honorant quoq́ Siracidæ verbis principem. Dignissimi por-
rò timore suo sunt parentes. Neq́ enim DEO quicquam gratius fi-
eri potest: quàm si parentibus alaciter et benignè veteres super
illoris foeneratas gratias persolvamus, eosq́ reverenter habeamus. Neq́
verò contra ea majus argumentum impietatis est parentum despi-
catus inq́ eosdem injuria. ΘΕΟΥΣ τίμα γονέας αἰδοῦ, præcipit,
qui Athenas æquo jure fundavit, inter septem ævi prisci sapientes,
sapientia notus, Solon: h.e. DEUM honora Parentes revere-
re. Dixerat idem hoc DEUS: Honora, inquiens, Patrem tu-
um et Matrem tuam. Atq́ ita liberis injunxit ipse Summus
DEUS ut Parentes timeant ac revereantur. Hoc enim justum
est, ut Filius honoret patrem. Norunt et omnes qui sapiunt, pri-

mum